

DE DONATIONIBUS QUAE SUB MODO VEL CONDICIONE
VEL EX CERTO TEMPORE CONFICIUNTUR

8.55.1

Impp. Valerianus et Gallienus AA. Gamicae.

Si doceas, ut adfirmas, nepti tuae ea lege a te esse donatum, ut certa tibi alimenta praeberet, vindicationem etiam hoc casu utilem eo, quod legi illa obtemperare noluerit, impetrare potes, id est actionem, qua dominium pristinum restituatur tibi.

1 ¶ Nam condictio quidem hoc casu (id est in personam actio) iure procedit: verum vindicationem quoque divi principes in hoc casu dandam esse sanxerunt.

PP. VI k. Dec. Tusco et Basso cons.

[a. 258]

8.55.2

Impp. Diocletianus et Maximianus AA. Aurelio Zenoni.

Si praediorum proprietatem dono dedisti ita, ut post mortem eius qui accepit ad te rediret, donatio valet, cum etiam ad tempus certum vel incertum ea fieri potest, lege scilicet quae ei imposita est conservanda:

PP. V id. Mart. Maximo II et Aquilino cons.

[a. 286]

8.55.3

Idem AA. Iuliae Marcellae.

Quotiens donatio ita conficitur, ut post tempus id quod donatum est alii restituatur, veteris iuris auctoritate rescriptum est, si is in quem liberalitatis compendium conferebatur stipulatus non sit, placiti fide non impleta, ei qui liberalitatis auctor fuit vel heredibus eius condicticiae actionis persecutionem competere.

1 ¶ Sed cum postea benigna iuris interpretatione divi principes ei qui stipulatus non sit utilem actionem iuxta donatoris voluntatem competere admiserint, actio, quae sorori tuae, si in rebus humanis ageret, competebat, tibi accommodabitur.

PP. Sirmi XI k. Oct. ipsis IIII et III AA. cons.

[a. 290]